



**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et  
Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

30. Mallingcrotius in Westphaliam redux. Frustra tentat intrare  
Monastierum. Capitur & ducitur Ortensteinam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)



At verò *Mallingcrocius*, à quo tempore Monasterio abfuerat, tametsi litterariâ subindè pugnâ certare, quiescere tamen visus; perspectis populi studiis, & forte per eos dies privatâ quorundam invitatione allectus, urgente cumprimis ob rerum penuriam necessitate, aleam, quam jecerat triennio antè, subire denuò tentavit. In pervigilio D. Jacobi auditur sub noctem ante portas subsistere, aditumque in Urbem postulare. Commota mox, suspensâque Civitas erat, nec pauci cum plausu ingressum præstolabantur. Senatus pacti Schoneffitani memor per binos importunum tunc aditum causatus, nec eum quidem concedere ausus, suadere, ut Civitate præteritâ aliò migret, sibi que ac suæ consulat securitati. Ergo ab iis, qui invitârant, expertus jam deserui, desperato ingressu, deploratâque humanæ conditionis inconstantiâ, ad *Ewaldum Gigantem* S. Mauritij extra muros Canonicum, Joannis Gigantis medicæ, multarumq; artium peritissimi filium, eâ nocte divertit. Interea Prætoriani, quos Princeps de itinere, deque adventu ejus jam certior emiserat, industrij vestigatores, postquam istis in ædibus virum offendunt, jussi reverenter eum habere, aperto circumstant capite, petuntque imperio Principis comitari non se gravet. Igitur postulatâ cerevisiâ, in

1657.

30.

*Mallingcrocius in Westphaliam redux.*

*Frustrâ tentat intrare Monasterium.*

*Capitur & duci-*

X 4

Prin-



1657.  
tur Ot-  
tenstei-  
nam.

Principis salutem ipso præeunte cum Praetorianis epotâ, *Gigantem* affatur, *Monasteriensium Annalibus*, ac posteris consignatum iri, *Domi tua* captum aliquando *Cathedralis Ecclesiae Decanum*. Conscenso exindè equo in arcem *Ottensteinensem* abductus eo demùm die didicit, neminem ingenio ac genio nimium fidere oportere; quâ nque rarò subjecti, quales quales etiam, contra Dominantes impune obnitantur. Hoc uno felix, quod quacunque curarum ac controversiarum mole exutus, solâque Principis clementiâ ac liberalitate laute, benigneque habitus, reliquum vitæ terminarit.

31.  
Vicario-  
rum Im-  
perij mo-  
nitoria  
ad Civi-  
tatem.

Jamque emanarant litteræ à *Ferdinando Maria Bavaro & Joanne Georgio Secundo Saxone*, Electoribus, ceu Imperij Vicariis, ad Principis querimoniam, Senatui quintâ Junij exarata, quibus in *Monasteriensem* populum confidere se ajunt, promptè collaturum, quidquid exigere possit constans Imperij presentis incolumitas, ita nolle arbitrari, occasione privatae litis ad alios Germaniæ aut exterarum etiam Rerump. Ordines recursurum; nihilò-tamen minus pro Vicariatu, quem gerant, hortari se, ut quod aliàs decrevit Cæsar, effectum dent, & à peregrinæ opis ac suppeticarum sollicitatione se profus contineant, ne causa sint publico quietis turba-